



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia**

Ab anno MCLXXXI. ad annum MCCCXIV.

**Parisiis, 1644**

VIII. De rescriptis.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15974**

## VI.

Exceptionis peremptoriæ, seu defensionis cuiuslibet principalis cognitionem negotii continentis ante litem contestatam obiectus, nisi de re iudicata vel transacta seu finita excipiat litigator litis contestationem, non impedit, nec retardet, licet dicat obiector non fuisse rescriptum obtentum, si quæ sunt impetranti opposita, fuissent exposita deleganti.

## VII.

Actor qui venire ad terminum ad quem citari aduersarium fecerat non curauit, venienti reo in expensis propter hoc factis legitime condemnatur; ad citationem aliam, nisi sufficienter cauerit quod in termino fideliter compareat, minime admittendus.

## VIII.

Dispensia litium æquitatis compendio volentes qua possumus industria coarctare, statutum felicis recordationis \* Innocentii papæ III. super hoc editum ampliantes, decreuimus ut si quis contra alium plures personales voluerit mouere quæstiones, non ad diuersos iudices, sed eosdem super omnibus huiusmodi quæstionibus literas studeat impetrare. Qui vero contrarium fecerit, omni commodo careat literarum, nec processus valeat habitus, per easdem alias reo, si eum per ipsas fatigauerit, in expensis legitimis condemnandus. Reus quoque si eodem durante iudicio actorem sibi obnoxium dixerit reconuentonis beneficio, vel conuentionis, si literas contra eum impetrare

P. C.  
ANNO  
CHRISTI  
1145.  
INNOCENTIVS LVGDVNENSE I. FRIDERICVS II. IMP.  
S. LUDOVICVS REX FRANC. 435

maluerit, de iure suo debet apud eosdem iudices experiri, nisi ut eos suspectos poterat recusare simili poena, si contrafecerit, puniendus.

I X.

Eum qui super dignitate, personatu, vel beneficio ecclesiastico obtainendis, cum aliquo litigat possessore, ob partis aduersae contumaciam causa rei seruandæ in ipsorum possessionem statuimus non mittendum, ne per hoc ad ea ingressus patere valeat vitiosus; sed liceat in hoc casu contumacis absentiam, diuina replente præsentia, etiam lite non contestata diligenter examinato negotio ipsum fine debito terminare.

X.

Statuimus ut positiones negatiuas quæ probari non possunt nisi per confessionem aduersarii, iudices admittere possint; si æquitate suadente viderint expedire.

X I.

Legitima suspicionis causa contra iudicē assignata, & arbitris a partibus (secundum formam iuris) electis, qui de ipsa cognoscant, sæpe contingit, quod ipsis in idem conuenire nolentibus, nec tertiu aduocantibus, cum quo ambo, vel alter ipsorum, procedant ad decisionem ipsius negotii, ut tenentur, iudex proferat excommunicationis sententiam contra eos, quam ipsi tum propter odiū, tum propter fauorem partium, diutius vilipendunt. Quare causa ipsa plus debito prorogata non proceditur ad cognitionem negotii principalis. Volentes igitur morbo huiusmodi necessariam adhibere me-

Concil. Tom. 28.

Iii ij